

† **Pl. R. P. Hieronymus Rabaey (1875–1933)***(Vice-Prov. Belg. Antill.)*

Hieronymus Rabaey, natus in Belgii loco Loo, dioecesis Brugensis, 21 Mart. 1875 et a. 1896 Congregationem ingressus, Trudonopoli 3 Oct. professionem emisit ac Pulchriugi 5 Oct. 1902 sacerdotio auctus est.

Anno insequenti in Canadensem regionem missus, per biennium Pulchriprati fuit Lector iuvenatus. A. 1905 Antillas petiit, ibi permansurus usque ad mortem. Primum in insula parva S. Crucis, una cum R. P. De Vos, zelum suum exercebat usque ad mensem Septembrem 1907, dein usque ad a. 1910 in insula Antigua, ubi eo auspice nova ecclesia exstructa est ¹.



Ineunte a. 1911 ad S. Crucis insulam revocatur, ut in defleti Patris De Stoop locum munus parochi gerat. Tum per vices creatur Rector, Superior, Vice-Provincialis, et Rector quidem in Roseau 1912–1919, Superior in S. Christophori insula (*St. Kitts*) 1919–1923 et in Antigua 1923–1930. Inde ex a. 1922 etiam Vice-Provincialis munere fungitur, simul tamen annis supra dictis paroc-

ciam insulae Antigua administrans.

Ultimo triennio in Roseau residebat ibique 2² Dec. 1933 subitanea morte e vivis sublatus est. Solita sua hilaritate recreationi vespertinae interfuerat, verum circa h. 11 ad portam vicini sui, R. P. Tavernies, pulsatus inquit: « Male me habeo! » Qui confrater statim lecto surgere, ad Superioris Vice-Provincialis cubiculum accurrere. Proh dolor, eum iam agonizantem reperire. Extemplo arcessi medicus, qui tamen aliud facere nequit quam mortem proximam annuntiare. Revera veneratus confrater loquelae usum amplius non recuperavit, sed brevi, sacro oleo vix inunctus, efflavit animam.

Populus universus nostri luctus socius fuit, et in exsequiis sollemnibus, per confratrem nostrum, Exmum Episcopum Rosensem Iacobum Moris celebratis, ecclesia cathedralis ³ tota erat oppleta.

Vice-Provincia sic amisit religiosum vere pium et in opere imposito assiduum, Superiorem bonum ac sapientem, confratrem comem amantemque. Eminebant in eo diligentia illa, quae punctualitas vocatur, animus

¹ Cfr. *Analecta* VIII (1929), p. 209, fig. 3.

² Ita corrigendus dies 4 Decembris, in superiore fasciculo p. 44 indicatus, licet cum signo interrogativo. Huiusmodi errores multoties inde efficiuntur, quod in telegrammate Romam misso dies mortis tacetur.

³ Eius imaginem videsis: *Analecta* II (1923), 19 et VIII (1929), 207.

erga omnes proximos, intra claustra et extra, obsequiosus, memoria quoque admirabilis, ita ut brevissimo tempore omnes sui territorii familias cognosceret nec facile nomen unquam auditum vultumve antea visum oblivisceretur. Qua erat prudentia et caritate, dictis suis magnam conciliabat auctoritatem et a laedendo proximo religiosissime abstinebat.

Supremum Instituti Moderatorem magni fecisse Patrem Rabaey merito inde arguitur, quod a. 1923 ei, nondum quinquagenario, visitationem extraordinariam Vice-Provinciae Surinamensis commisit.

In eum igitur, qui in vita sua haud ita longa omnium cuiusvis nationis condicionsive hominum aestimationem amoremque contraxit, iure optimo applicari posse videntur sacri eloquii verba: *Pertransiit benefaciendo*¹. — *Cuius memoria in benedictione est*². — R. I. P.
